

additione reali non provenit extensio major» (1). Verum de his quoque alibi disputandum est. «Ad γ) Licet idem subjectum possit actuari magis absque additione formæ actuabilis, non tamen absque additione formæ actuantis: quæ additio requiritur, et sufficit, ut crescat formalis effectus actuati» (2).

Instabis. «Idem subjectum, tametsi totum actuatum, potest actuari magis. Ergo et eadem forma, tametsi tota sit actans, poterit magis actuare». — **Respondeo, dist. antec.;** eadem forma invariata, *neg.*; variata forma, *conc.*; *Dist.* etiam consequ. Eadem forma in se non aucta poterit magis actuare novum subjectum vel partem subjecti, *trans.*; idem subjectum invariata, *neg.* «Nobis sufficit, quod effectus formalis ipsumque *actuari* et *actuare* crescere nequeat, quin vel forma vel subjectum crescat; cumque in præsentii supponatur non crescere subjectum, superest ut crescat forma» (3).

«Ad δ) Varietas actionis aut applicationis non conducit ad novum vel majorem effectum, nisi ponat in rerum natura novam vel majorem entitatem a se distinctam, in qua stat novitas vel majoritas effectus. At varietas unionis aut radiationis a Thomistis asserta nullam ponit entitatem a se distinctam»... (4) Ad ε) Christus non est capax denominationis filii adoptivi, utpote quæ requirit personam adoptanti extraneam. Et similiter species visualis quantumvis radicetur in ære nequit illum efficere proximum subjectum capax videndi, sicut efficit oculum; quia non habet ær potentiam visivam (5).

CAPUT II.

DE RELATIONE.

In hoc capite tractanda occurrit divisio illa entis in absolutum et relativum: in qua solum secundum membrum difficultatem habet. Absolutum enim vel opponitur *modali*

Absolutum
varie accipitur

- (1) Lossada, *ibid.*
- (2) *Id.*, n. 36.
- (3) *Id.*, *ibid.*
- (4) Lossada, *ibid.*, n. 37.
- (5) *Id.*, *ibid.*

vel hypothetico, ac dependenti vel relativo. Ens absolutum in prima acceptione est ens, quod in se habet entitatem propriam, nec est mera determinatio vel modificatio alterius, ac proinde sub se comprehendit omnem entitatem, sive substantialem sive accidentalem, quæ non sit pure modalis. In altera acceptione est ens, quod a nulla conditione pendet, et sic universaliter et in toto rigore solum Deus videtur esse ens plene absolutum, entia enim creata omnia dependentiam aliquam involvunt ab alio, atque adeo conditionem involvunt, quia non possunt existere nisi supposita voluntate Dei existentiam illorum decernente, et quatenus imitationem aliquam præ se ferunt essentiae divine. Entia vero creata solum in aliquo particulari ordine possunt esse independentia vel inconditionata. Ens denique absolutum in tertia acceptione intelligi nequit, nisi intellecto relativo; ente vero relativo intellecto, jam eo ipso absolutum, quatenus eidem opponitur, intellectum erit.

ARTICULUS I.

Quid et quotuplex sit relatio

334. Relatio consistit in ordine unius rei ad aliam rem (1); vel est *respectus seu habitudo unius ad aliud*. Unde relativa ab Aristotele definita sunt: *Quæcumque id ipsum, quod sunt, aliorum esse dicuntur, vel quocumque alio modo ad aliud referuntur* (2); relatio vero dicta est prædicamentum *Ad Aliquid* (τὸ πρὸς τι). Elementa proinde relationis sunt *subjectum*, quod refertur, *terminus*, ad quem refertur subjectum, et *fundamentum* (3), vel *ratio fundandi*, illud nempe quod causat

Quid relatio,
et relativa:

relatio dicta est
prædicamentum
Ad aliquid.
Subjectum,
terminus et
fundamentum
relationis.

(1) S. Thom., *de Potent.*, quæst. 7, art. 10, 11.

(2) Aristot., *de Prædicam.*, cap. 7.

(3) In usu horum vocabulorum est inter Auctores magna varietas. Aliqui, ut jam suo tempore notaverat Sotus (*De prædicam. ad aliquid*, quæst. 1.^a, *Ad primum principale*), et Card. Toletus (*Logic. de Prædic. Ad aliquid*, quæst. 1. *Secundum fundamentum*), et Conimbricenses (*Dialect.*, *de Relat.*, quæst. 1, art. 4.) distinguunt *remotum* et *proximum fundamentum*: et remotum vocant ipsum subjectum, cui relatio inest; proximum autem illud, ratione cuius est in subjecto relatio, nempe id quod a plerisque dicitur simpliciter fundamentum.

relationem, vel secundum quod unum respicit aliud. Ratio vero est, quia relatio concipitur velut forma inhærens alicui subiecto, certo aliquo modo illud ad aliud referens: sic in *patre* est respectus ad *filium*, in *seruo* ad *dominum*, in *majori* ad *minus* etc. Subjectum in mentali comparatione accipitur in recto, terminus vero in obliquo: v. g. *Pater Petri*, vel *filius Antonii*, *seruus Pauli*, *major Joanne* etc. Extrema, quæ invicem referuntur vocantur *relata*, vel *correlata*, si ratio habeatur ad mutuam utriusque respectum; sicut ipsa relatio, si consideretur tamquam utriusque mutuo existens, *correlatio* dicitur. Quare duo in relatione conceptus distinguendi sunt, conceptus *in*, quatenus relatio intelligitur ut forma quædam inhærens subjecto, et conceptus *ad*, quatenus cogitatur ut forma faciens subjectum respicere terminum. Et quia hic alter conceptus distinguit relationem a cæteris prædicamentis, nam esse *in* subjecto convenit multis aliis; ideo relatio a Philosopho vocatur prædicamentum *ad aliquid*. Ad rem Angelicus: *Cum... in relatione sint duo, scilicet relationis respectus, quo ad alterum refertur, in quo consistit relationis ratio; et iterum ipsum esse relationis, quod habet secundum quod in aliqua re fundatur, vel quantitate, vel essentia, vel aliquo huiusmodi; consideraverat* (Gilbertus Porretanus) *relationes divinas*, etc. (1). Et alibi: *Relatio... aliud habet in quantum est accidens, et aliud in quantum est relatio vel ordo. In quantum enim est accidens, habet, quod sit in subjecto; non autem in quantum est relatio vel ordo, sed solum quod ad aliud sit, quasi in aliud transiens, et quodammodo rei relatæ assistens. Et ita relatio est aliquid inhærens, licet non ex hoc ipso, quod est relatio... Et ideo nihil prohibet, quod esse designat huiusmodi accidens sine mutatione ejus, in quo est, quia sua ratio non perficitur prout est in ipso subjecto, sed prout transit in aliud* (2).

Rationem fundandi plures videntur confundere cum fundamento; alii autem volunt rationem fundandi esse conditionem quamdam necessariam ad hoc, ut posito fundamento resultet relatio, quemadmodum fuse declarat Eximius Doctor (disp. 47 *Metaph.*, sect. 7. n. 10, seqq.)

(1) S. Thom. 1.^a dist. 33, quæst. 1, art. 1. Cfr. ibid. ad 1.^{um}; et dist. 8, quæst. 4, art. 3.

(2) S. Thom., *de Potent.*, quæst. 7, art. 9 ad 7.^{um} Cfr. S. Bonaventura, 1.^a dist. 26, art. 1, quæst. 2.

Hinc cernitur discrimen relationis a cæteris prædicamentis accidentalibus secundum propriam rationem. *Ad cuius evidentiam considerandum est, quod in quolibet novem generum accidentis est duo considerare: quorum unum est esse, quod competit unicuique ipsorum, secundum quod est accidens; et hoc communiter in omnibus est inesse subjecto, accidentis enim esse est inesse. Aliud quod potest considerari in unoquoque est propria ratio uniuscujusque illorum generum. Et in aliis quidem generibus a relatione, utpote quantitate et qualitate, etiam propria ratio generis accipitur secundum comparationem ad subjectum, nam quantitas dicitur mensura substantiæ, qualitas vero dispositio substantiæ; ac proinde alia accidentia etiam secundum propriam rationem cuiusque significant aliquid alicui inhærens (1). Sed ratio propria relationis non accipitur secundum comparationem ad illud in quo est, sed secundum comparationem ad aliquid extra (2) Quare relatio est quidem aliquid alicui esse suum, quod habet in subjecto (nempe secundum fundamentum vel rationem fundandi); sed secundum rationem suam (propriam et distinctivam ab aliis accidentibus) non habet quod sit aliquid, sed solum quod ad aliud refertur: unde secundum rationem suam non ponit aliquid in subjecto: propter quod Boetius dicit, quod *relativa nihil prædicant de eo, de quo dicuntur* (3). Quapropter relatio solum secundum quod importat, id quod cum aliis accidentibus commune habet, nempe aliquid inhærens, seu rationem fundandi, facere potest compositionem cum subjecto, nam secundum id solum ponit aliquid reale in eo (4). Quæ cum ita sint, facile jam intelligitur, quare non semel scripserit Angelicus (5), cum Aristotele (6), esse relationis esse *debilissimum*: quæ *debilitas esse relationis consideratur secundum inhærentiam sui ad subjectum, quia non**

Discrimen
relationis a
cæteris
prædicamentis.

Relatio
secundum esse
ad, non postulat
aliquid
ponere
in subjecto.

Cur relatio
dicatur habere
esse
debilissimum.

(1) S. Thom., 1 p., quæst. 28, art. 1.

(2) S. Thom., 1 p., quæst. 28., art. 2.

(3) S. Thom., 1.^a dist. 20, quæst. 1, art. 1. Cfr. ibid. ad 3.^{um} et dist. 26, quæst. 2, art. 1; et *Quodlib.* 9, art. 4.

(4) S. Thom., 1.^a dist. 33, quæst. 1, art. 1, fin. et art. 2 ad 3.^{um}; dist. 20, quæst. 1, art. 1; dist. 21, quæst. 1, art. 2; *de Potent.* quæst. 8, art. 1, ad 5.^{um}

(5) Vide v. g., *de Potent.*, quæst. 7, art. 9 init.; quæst. 8, art. 1 ad 4.^{um}

(6) Lib. 11 *Metaphysicor.*

Quid
relata, correlata
et correlatio?

Conceptus in et
conceptus ad
distinguendus in
relatione.

ponit aliquid absolutum in subjecto, sed tantum per respectum ad aliud (1). Quo etiam illa spectant: Relatio realiter substantiæ adveniens, et postremum et imperfectissimum esse habet: postremum quidem, quia non solum præexigit esse substantiæ, sed etiam esse aliorum accidentium, ex quibus causatur relatio, sicut unum in quantitate causat aequalitatem, et unum in qualitate similitudinem. Imperfectissimum autem, quia propria relationis ratio consistit in eo, quod est ad alterum: unde esse ejus proprium quod substantiæ superaddit, non solum dependet ab esse substantiæ (in qua inhæret), sed etiam ab esse alicujus exterioris (ad quod respectum importat) (2).

Relatio realis et
logica vel
rationis.

335. Jam quod attinet relationis diversa genera, primo dividitur in realem et logicam vel rationis (3). Realis est illa, quæ in rebus existit antecedenter ad omnem mentis considerationem. Ne tamen mireris, quod istud prædicamentum, secus atque alia, dividatur in reale et logicum; ratio enim diversitatis hujus petitur ex supradictis, et egregie declaratur ab Aquinate. Ad cuius evidentiam considerandum est, quod solum in his, quæ dicuntur Ad aliquid, inveniuntur aliqua secundum rationem tantum, et non secundum rem: quod non est in aliis generibus (seu prædicamentis), quia alia genera, ut quantitas et qualitas, secundum propriam rationem significant aliquid alicui inhærens. Ea vero quæ dicuntur Ad aliquid, significant secundum propriam rationem solum respectum ad aliud. Qui quidem respectus aliquando est in ipsa natura rerum, utpole quando aliqua res secundum suam naturam ad invicem ordinata sunt, et invicem inclinationem habent; et huiusmodi relationes oportet esse reales. Aliquando vere respectus significatur per ea, quæ dicuntur Ad aliquid, est tantum in ipsa apprehensione rationis conferentis unum alteri (quia nempe nihil ponit in re); et tunc est relatio rationis tantum, sicut cum comparat ratio hominem animali ut speciem ad genus (4).

(1) S. Thom., 1.^o dist. 8, quæst. 4, art. 3 ad 4.^{um}

(2) S. Thom., lib. 4.^o Contr. Gent., cap. 14. Quamvis autem in Deo...

(3) Vide S. Thom., de Potent., quæst. 7, art. 10, 11; 1.^o dist. 26, quæst. 2, art. 2.

(4) S. Thom., 1.^o p., quæst. 28, art. 1. Cfr. 1.^o dist. 33, quæst. 1, art. 1; Quodlibet 9, art. 4.

Ad quamlibet realem relationem requiritur subjectum reale, reale fundamentum et reale subjecti discrimen a termino. Primum quidem requiritur quia quod non est, nullum prædicatum reale habere potest. Reale quoque fundamentum requiritur, quia sicut nequit esse effectus realis sine reali causa, ita nequit reale quiddam fundari supra basim, quæ realis non sit. Denique distinctio realis subjecti ac termini, quia relatio importat oppositionem; nihil autem sibi ipsi opponitur (1). His aliam conditionem addit auctor *Summæ totius Logicæ Aristotelis*, quæ se habet ex parte correlativorum, nempe quod hæc sint ejusdem ordinis; ita videlicet quod ambo sint limitata ad genus et speciem, vel ambo sint extra genus, ita quod ex æquo respondeat eis ratio generis aut speciei (2). Et ratio est, quia cum relatio sit ordo unius rei ad aliam, intercedere nequit nisi inter extrema, quæ ordinari ad aliud possint: huiusmodi autem sunt tantum extrema ejusdem ordinis (3). Hinc in divinis quidem personis dantur reales relationes, at inter Deum et creaturam nulla esse potest realis relatio, quia non sunt entia ejusdem ordinis. Verum de his alibi. Postea vero videndum est, utrum præter hæc aliquid aliud requiratur ad realem habendam relationem.

Quid requiratur
generatum ad
realem
relationem.

Relatio rationis variis modis contingere potest, quorum quatuor refert Angelicus in commento librorum Sententiarum (4), illos tamen ad duos revocat in questione septima de Potentia (5) his verbis: Relatio rationis consistit in ordine intellectuum: quod quidem dupliciter potest contingere. Uno modo secundum quod iste ordo est adinventus per intellectum et attributus ei, quod relative dicitur; et huiusmodi sunt relationes, quæ attribuuntur ab intellectu rebus intellectis, prout sunt intellectæ, sicut relatio generis et speciei; hæc enim relationes ratio adinvenit considerando ordinem ejus, quod est in intellectu ad res, quæ sunt extra, vel etiam ordinem intellectuum ad invicem. Alio modo secundum quod huiusmodi relationes consequuntur

Quotuplici modo
dari relatio
rationis possit.

(1) Vide supra, n. 105, ubi de signis realis distinctionis.

(2) *Summ. totius Logicæ Aristot.*, tract. 5, cap. 1.

(3) Vide Suarez, disp. 47 *Metaph.*, sect. 15, n. 23.

(4) 1.^o dist. 26, quæst. 2, art. 1.

(5) Art. 11. Cfr. quæst. 13, art. 7.

modum intelligendi, videlicet quod intellectus intelligit aliquid in ordine ad aliud; licet illum ordinem intellectus non adinveniat, sed magis ex quadam necessitate consequatur modum intelligendi. Et hujusmodi relationes intellectus non attribuit ei, quod est in intellectu, sed ei, quod est in re. Et hoc quidem contingit secundum quod aliqua non habentia secundum se ordinem, ordinate intelliguntur; licet intellectus non intelligat ea habere ordinem, quia sic esset falsus. Ad hoc autem quod aliqua habeant ordinem, oportet quod utrumque sit ens, et utrumque ordinabile ad aliud. Quandoque autem intellectus accipit aliqua duo ut entia, quorum alterum tantum vel neutrum est ens; sicut cum accipit duo futura, vel unum præsens et aliud futurum, et intelligit unum cum ordine ad aliud, dicens alterum esse prius altero; unde istæ relationes sunt rationis tantum, utpote modum intelligendi consequentes. Quandoque vero accipit unum ut duo, et intelligit ea cum quodam ordine; sicut cum dicitur aliquid esse idem sibi: et sic talis relatio est rationis tantum. Quandoque vero accipit aliqua duo ut ordinabilia ad invicem, inter quæ non est ordo medius, immo alterum ipsorum essentialiter est ordo; sicut cum dicitur relationem accidere subiecto; unde talis relatio relationis ad quodcumque aliud rationis est tantum. Quandoque vero accipit aliquid cum ordine ad aliud, in quantum est terminus ordinis alterius ad ipsum, licet ipsum non ordinetur ad aliud; sicut accipiendo scibile ut terminum ordinis scientiæ ad ipsum (1).

Verum antequam ad alias relationis divisiones exponendas gradum faciamus, existentia realium relationum in tuto collocanda est. Non enim defuerunt Philosophi, qui dicerent, quod relatio non est aliquid unum genus entium, nec est aliquid in rerum natura, sed est tantum quidam respectus respectus in omnibus entibus, et quod relationes sunt de intentionibus secundis, quæ non habent esse nisi in anima. Cui etiam Porretanorum (id est Gilberti Porretani assecularum) opinio consentire videtur (2). Negarunt etiam reales relationes alii veteres

(1) S. Thom., *de Potent.*, quæst. 7, art. 11. Utrum vero divisio in relationem realem ac rationis univoca sit, an vero analogica, vide apud Suarez, *disp. Metaph.* 47, sect. 3, n. 2 seqq.

(2) S. Thom., 1.^a dist. 26, quæst. 2, art. 1. Cfr. Suar., *disp.* 47, sect. 1, n. 9.

scriptores ab Avicenna et Averroee relati (1), eandemque opinionem tribuit Aureolo Capreolus (2).

«Jam vero recepta sententia et quasi philosophicum et commune axioma est, dari in rebus creatis relationes reales, proprium ac speciale prædicamentum constituentes. Hæc fuit sententia Platonis, eumque secutus est Aristoteles, et hunc omnes ejus interpretes, Averroes, Simplicius et cæteri omnes græci et latini; quos imitati sunt Theologi. D. Thomas (3), Capreolus et alii (4), Gregorius (5), Henricus (6), non solum propter rationes philosophicas, sed etiam quod illa sententia aptior sit ad mysterium Trinitatis declarandum, et ex illo plurimum confirmari videatur» (7).

Probaturque 1.^o quia «docet Fides catholica esse in Deo tres relationes reales, constituentes et distinguentes divinas personas. Ex quo fit evidens argumentum, conceptum relationis ut sic non addendo quod sit creata, vel increata, non esse fictitium et rem aliquam referri non esse denominationem extrinsecam provenientem ex sola comparatione mentis; sed esse aliquid rei, quandoquidem in Deo aliquid rei est» (8).

«Et hinc ulterius magna verisimilitudine colligitur etiam in rebus creatis esse posse aliquid rei. Quia vel repugnaret rebus creatis ob perfectionem earum, vel repugnaret ob imperfectionem. Primum dici non potest, quia si relatio non repugnat summæ perfectioni Dei, cur repugnabit perfectioni creaturæ? An quia illa relatio Dei substantialis est, in creatura vero accidentaliter esse debet? «Sed contra, quia relatio ut sic non magis repugnat, quod sit accidentaliter, quam quod sit substantialiter; quia sicut accidens dicit esse in alio, ita substantia dicit esse in se. Si ergo cum hac ratione conjungi potest esse ad aliud, multo magis cum illa. Et alioqui creaturæ ut sic non repugnat accidens reale. Ergo nec repugnabit

(1) Apud Suar., *disp.* 47 *Metaph.*, sect. 1, n. 8.

(2) 1.^a dist. 30, quæst. 1.

(3) 1.^a p., quæst. 13, art. 7; quæst. 28, art. 1 et 2 et sæpe alias.

(4) In 1.^a, *disp.* 33.

(5) 1.^a dist. 28, quæst. 1.

(6) *Quodlib.* 3, quæst. 4; *Quodlib.* 9, quæst. 3.

(7) Suarez, *disp. Metaph.* 47, sect. 1, n. 10.

(8) Suarez, loc. cit., n. 11.

illi talis relatio, quæ etsi sit accidentalis, aliquid rei sit. Nec vero repugnare potest ob imperfectionem, quia relatio ut relatio, non dicit imperfectionem. Quod si aliquid imperfectionis ei adjungitur ex eo quod accidentaliter sit, talis imperfectio non est contra latitudinem rei creatæ» (1).

Prob. 2.^o Independentem a mentis consideratione datur in rebus ordo unius ad alteram. Ergo existunt relationes reales.

Antecedens patet experientia. Dantur causæ reales et effectus, quos singulis momentis de novo fieri cernimus; dantur nempe multa, quæ ab aliis dependent in esse, et ab aliis mensuratum accipiunt gradum perfectionis. Nec vero quod unum sit causa, alterum vero effectus, qui ab alio suum esse accipiat, a nostra consideratione dependet. Atqui inter causam et effectum datur ordo realis, actio enim agentis ac dependentia effectus reale aliquid profecto sunt. Præterea, nemine cogitante, paries albus est similis alteri albo. Secus enim cur non dicitur similis nigro? Item quatuor sunt plures tribus, palmus minor ulna est. Ergo negari nequit dari in rerum natura realem ordinem ac respectum inter varia entia. Neque enim hujusmodi denominationes sunt rebus penitus extrinsecæ, quia conveniunt eis propter aliquid reale ac physicum in iisdem repertum, ut patet ex allatis exemplis.

Nec dicas hæc denominationes nihil exprimere reale, quod sit ab entitate absoluta distinctum.—**Nam denominationes** hujusmodi possunt in subjecto variari, nulla entitate absoluta variata: paries enim albus poterit desinere esse similis alteri parieti albo, solum ex eo quod nigrescat vel destruat hic alter paries. Ergo denominatio similis v. g. in pariete non dicit solum entitatem absolutam. Verum hæc magis postea declarabuntur.

Hanc rationem sic exposuit S. Thomas: *Perfectio et bonum quæ sunt in rebus extra animam non solum attenditur secundum aliquid absolute inherens rebus, sed etiam secundum ordinem unius rei ad aliam; sicut etiam in ordine partium exercitus bonum exercitus consistit: huic enim ordini comparat Philosophus ordinem universi* (12.^o Melaph. Comment. 52 et seqq.). *Oportet*

(1) Suarez, loc. cit., n. 11.

ergo in ipsis rebus ordinem quemdam esse; hic autem ordo relatio quedam est. Unde oportet in rebus ipsis relationes quasdam esse, secundum quas unum ad alterum ordinatur. Ordinatur autem una res ad aliam vel secundum quantitatem, vel secundum virtutem activam et passivam... Et propter hoc Philosophus in 5.^o Metaphysicor. (Comment. 20) species assignans relationis quasdam ponit ex quantitate causatas, quasdam vero ex actione et passione. Sic ergo oportet quod res habentes ordinem ad aliquid, realiter referantur ad ipsum, et quod in eis aliqua res sit relatio. Omnes autem creaturæ ordinantur ad Deum, et sicut ad principium et sicut ad finem: nam ordo, qui est partium universi ad invicem, est per ordinem, quia est totius universi ad Deum; sicut ordo qui est inter partes exercitus, est propter ordinem exercitus ad ducem, ut patet (12 Melaph. comm. 52 seqq.). Unde oportet, quod creaturæ realiter referantur ad Deum, et quod ipsa relatio sit res quedam in creatura (1). Hæc multo magis patefient, cum et veritas causarum efficientium finaliumque, et multiplex ac perfectissimus ordo mundi contra Materialismi, Positivismi et Atheismi, insana commenta suis locis propugnabuntur. Est enim ordo mundanus pulcherrima magnorum parvorumque varietate ac mirabili causarum et effectuum actionum et passionum vicissitudine contextus.

Dices 1.^o Relatio importat comparisonem duorum extremorum; comparatio autem est opus intellectus. Ergo relatio quælibet pendet ex intellectu, atque adeo non datur nisi relatio logica.

Resp. dist. Major. Relatio prout actu detecta et cognita *conc.*; prout existens in rebus, *neg.*

Conc. Minor., et *dist.* eodem modo primum consequ., in sui cognitione, *conc.*; in existentia *neg.*; et *neg.* pariter ultimum consequ. Certe ut aliquid tamquam filius cognoscatur, requiritur comparatio quedam ad alium, a quo genitus fuerit, et in hoc sensu relatio in esse cognitionis dependet ab intellectu. At ut aliquis sit reapse filius, non requiritur ulla comparatio intellectus, ut per se patet.

(1) S. Thom., *de Potent.*, quæst. 7, art. 9. Cfr. Suarez, loc. cit., n. 14.

Difficultates, quibus impeti relatio realis solet, nequeunt a nobis solvi antequam disputemus, utrum relatio aliquid addat supra ipsum fundamentum seu rationem fundandi, id quod in altero articulo præstandum erit (1). Itaque ut ad relationis divisiones iterum redeamus,

Realis divisio despicitur in *mutuam* et non *mutuam* (2).

Mutua est, quando ratio fundandi in utroque extremo relato reale aliquid importat; talis est v. g. relatio patris ad filium; majoris et minoris, etc. Non mutua est, quando ratio fundandi solum in altero extremo aliquid reale importat. Sic relatio inter creaturam et Creatorem realis est ex parte creaturæ, solum autem logica ex parte Creatoris, quia creandi actio, in qua prædicata relatio fundatur, nihil reale ponit in Deo præter substantiam, quæ tamen nullum ordinem habet ad res creatas. Talis est etiam relatio scientiæ et scibilis, quia licet scientia realiter referatur ad scibile, non tamen e converso. *Et similiter dextrum non dicitur de columna, nisi in quantum ponitur animali ad dexteram. Unde hujusmodi relatio non est realiter in columna, sed in animali* (3).

Dividitur secundo relatio in transcendentalem et prædicamentalem, seu categoricam. Transcendentalis est ea, quæ rei essentialis est, vel realiter adequate identificatur cum subjecto immediato, quod referri dicitur. Ita creatura transcendentaliter refertur ad Deum, et accidens ad substantiam, materia ad formam, et unio ad extrema unita, cognitio ad cognitum etc., quia est in creatura essentialis et inseparabilis ordo dependentiæ a Deo, et in accidente ad substantiam, cum sit ens cui debetur esse in alio; et in unione ad extrema, sine quibus ne concipi quidem potest; et similiter in materia ad formam tamquam ad suum perfectivum et complementum; in cognitione ad objectum cognitum, cujus est imago et representatio. Et generatim ubicumque adest exigentia aliqua subjecto intrinseca vel aptitudo per se

(1) Vide interea, si lubet, Suarez, loc. cit., sect. 1, n. 1-8; sect. 2, n. 24, seqq.

(2) Vide S. Thom., 1 p., quæst. 13, art. 2.

(3) S. Thom., ibid. fin. corp. Cfr. 4.^o *Contr. Gent.*, a. 14, *Ex his etiam; de Potent.*, quæst. 7, art. 1, ad 9.^{um}; ibid., quæst. 7, art. 10, ubi fuse.

Relatio
mutua
et non mutua

Relatio
transcendentalis

ordinata ad aliquid aliud, ibi adest relatio transcendentalis. Relatio hujusmodi potest proinde serpere per omnia decem prædicamenta, nam in omnium essentia est imbibitus ordo, saltem dependentiæ a Creatore, ac propterea videtur dicta fuisse transcendentalis, quasi transcendens omnia genera. Vocari etiam solet essentialis, quia ita inseparabiliter inseparabilem est fundamento, ut hoc sine illa ne per virtutem quidem divinam esse possit, nec concipi.

Ex hac transcendentalis relationis notione sequitur: 1.^o ad eam habendam non requiri realem existentiam termini. Et ratio est, quia si relatio transcendentalis necessario et inseparabiliter sequitur essentiam subjecti, et cum ipso adæquate identificatur, ubicumque adest subjectum, non poterit non adesse relatio. Ergo ad constituendam relationem prædictam, non est necessaria realis existentia termini. Et ita re vera constat etiam exemplis. Nam datur scientia vel cognitio rerum pure possibilem, et imago rei jam non existentis: itemque si quantitas destructo subjecto conservaretur, retineret adhuc suam transcendentalem relationem ad illud. Quod si unio nequit esse sine extremis unitis, nec actio sine termino producto, nec creatura sine Deo, non est ob generalem rationem transcendentalis relationis, sed ex peculiari sua natura et conditione, quia nempe unio et actio sunt modi, quorum est proprium esse non posse, nisi terminis subjectisque suis affixos: creatura vero sine jugi influxu, quo conservetur a Deo in *esse*, durare nequit (1). 2.^o Denique sequitur quod relatio transcendentalis non sit aliquid simpliciter respectivum, sed partim absolutum, partim respectivum: «in quo scilicet neque ratio absoluti præscindi possit a ratione respectivi, nec contra. Quia quod est essentialiter alicui, non potest ab eo præscindi. Sed respectus transcendentalis essentialis est... Ergo non potest præscindi a re illa, quæ refertur» (2).

Jam quod dentur in rerum natura transcendentales relationes, patet in allatis exemplis aliisque bene multis, quæ

(1) Vide Suar., disp. 47 *Metaph.*, sect. 3, n. 11. Cfr. ib., sect. 1, n. 5; Rhodes, *Philos. perip.*, lib. 4, disp. 4, quæst. 5, sect. 5, paragr. 2.

(2) Rhodes, loc. cit.

non postulat
necessario et
existentiam
termini,

nec est aliquid
simpliciter
respectivum,
sed absolutum
essentialiter
importans re-
spectum.

produci possent, in quibus plane cernitur essentialis prorsusque inseparabilis ordo ad alium terminum, modo jam declarato.

Dices 1.^o Si creatura importaret transcendentalem relationem ad Deum, vel accidens ad substantiam etc.; quicumque cognoscit intuitive creaturam, cognosceret intuitive Deum, et quicumque accidens intuetur, substantiam intueretur. Atqui hoc falsum est.

Prob. Major. Qui enim cognoscit intuitive essentiam aliquam, cognoscit intuitive omnia quæ sunt illi essentialia et identificata. Ergo quoniam relatio ad Deum essentialis est creaturæ, et relatio ad substantiam essentialis est accidenti, quicumque intuetur creaturam vel accidens, debet quoque intueri relationem utriusque, atque adeo extrema correlata, Deum et substantiam.

Resp. dist. Major. Quicumque adæquate cognosceret intuitive creaturam vel accidens, cognosceret intuitive etiam Deum et substantiam, *trans.*, quamvis posset quoque negari: quicumque inadæquate dumtaxat cognosceret, *neg.*

Et *contradist. Minore, neg. conseq.* Itaque ex duplici capite vacillat objectio. Primo, quia potest cognosci intuitive ordo essentialis ad Deum vel ad substantiam, quin ipse Deus vel substantia intuitive cognoscatur. Id patet exemplo; quia potest quis cognoscere intuitive patrem et relationem ejus, quin cognoscat filium ipsum intuitive. Quare ex eo quod intuitive cognoscatur relatio, sequitur quidem quod cognoscatur aliquo modo terminus relationis, nempe quantum sufficit ut relatio ipsa vel ordo possit cognosci, non tamen quod intuitive cognoscatur. Secundo vacillat objectio ex alio capite, quia videtur posse intuitive cognosci aliquid, inadæquate videlicet, quin relatio ejus essentialis, cum eo quoad rem ipsam penitus identificata, cognoscatur. Nonne potest quis colorem intueri, quin rationem qualitatis cum ipso identificatam intueatur, immo vero quin eam abstractivè cognoscat? (1)

Dices 2.^o Implicat ut relativum sit de essentia rei absolutæ ut sic: alioqui res illa, prout absoluta, respectiva foret.

(1) Vide Rhodes, loc cit. in resp. ad 1.^{um} argumentum.

Sed relatio transcendentalis est aliquid essentialè absoluto, prout absoluto. Ergo relatio transcendentalis dari nequit.

Resp. dist. Major. Implicat, ut relativum accidentale sit de essentia rei absolutæ ut sic, *conc.*; relativum essentialè, *neg.* Potest enim eadem res indivisibilis esse absoluta simul et respectiva essentialiter, «quia ut recte notat Cajetanus, non est contra rationem rei absolutæ, ut in sua essentiali ratione includat respectum aliquem: immo in creatis nihil ita est absolutum, ut in sua essentia non includat aliquem respectum, saltem ad Deum, a quo non potest non pendere essentialiter» (1).

Dices 3.^o Absolutum contradictorie opponitur relativo. Ergo necessario illud excludit.

Resp. dist. Absolutum opponitur contradictorie respectivo, quod est accidentaliter respectivum, *trans.*; quod est essentialiter respectivum, *neg.* Sicut enim analoga sunt partim eadem partim diversa, sic relativum transcendentale partim est absolutum partim relativum.

Dices 4.^o Relatio supponit suum fundamentum tamquam aliquid distinctum, quod proinde est prius ipsa. Sed relatio transcendentalis non supponit fundamentum a se distinctum, cum sit ipsi essentialis. Ergo...

Resp. dist. Major.; relatio accidentalis, *conc.*; essentialis, *subdist.*; supponit fundamentum tamquam aliquid re distinctum, *neg.*; sola ratione distinctum, *trans.*

Et *contradist. Minore, neg. conseq.*

Jam relatio prædicamentalis est ea, quæ accidentalis et adventitia est rei relatæ, quæque proinde inesse vel abesse potest, salva ejusdem natura. Talis est v. g. relatio similitudinis, quæ intercedit inter duos parietes albos, vel paternitatis aut filiationis, quæ adest in homine respectu alterius.

Varie solent assignari differentie inter transcendentalem et prædicamentalem relationem. Prima est, quam declarat Card. Cajetanus, nempe quod prædicamentalis respicit terminum pure sub ratione termini, transcendentalis autem respicit aliud, non ut pure terminum, sed sub aliqua alia

Quid
relatio prædicamentalis:

discrimen
ejus a transcendentali.

(1) Rhodes, ib., ad 3.^{um} Vide Suarez, disp. 47 *Metaph.*, sect. 3, n. 12, 13.

determinata ratione vel subjecti, vel objecti, vel efficientis, vel finis. Quam differentiam declarare amplius necesse est; patitur enim quasdam difficultates. Primo quidem quia motus, actio et passio ex communi sententia transcendentalem respectum important ad terminum, et nihilominus non respiciunt illum, nisi sub pura ratione termini. Similiter unio v. g. hypostatica, quamvis transcendentaliter referatur ad Verbum, ut pure terminum respicit illud. Præterea omnis respectus si abstracte et in communi sumatur, solum dicit habitudinem ad aliud sub ratione termini, abstrahendo ab aliis rationibus; si vero sumatur contracte et ut est talis vel talis respectus sive transcendentalis ille sit sive prædicamentalis, refertur ad talem terminum, qui sit vel causa vel effectus, vel objectum, vel aliam particularem rationem termini habeat; ut v. g. relatio paternitatis, etiamsi prædicamentalis dicatur, respicit talem terminum, qui sit effectus vel productus a patre, et sic de aliis (1).

Quid sit
respicere aliud
ut pure
terminum.

Ut ergo res declaretur, probe intelligendum est, quid sit respicere aliud ut pure terminum. «Nam relatio prædicamentalis dicitur respicere aliud ut pure terminum, quia circa illud nullum aliud munus exercet, nisi respiciendi tantum. Hoc autem modo non potest dici motus, aut actio vel passio esse purus respectus ad terminum; nam habitudo motus ad terminum est habitudo viæ, per quam ipse terminus in esse constituitur: unde non dicit habitudinem ad terminum ut respiciendum tantum, sed ut constituendum per ipsum; et ita non respicit ut pure terminum in prædicto sensu. Atque idem est proportionaliter de actione et passione. Unio vero hypostatica dicitur a Theologis attingere Verbum ut purum terminum, ut per illam particulam *purum* excludant omnem causalitatem propriam, quam Verbum, ut sic, habet circa talem unionem. Non est tamen Verbum pure terminus illius unionis in eo sensu, in quo hic dicitur de termino relationis prædicamentalis: quia illa unio, ut est realis modus humanæ naturæ, non utcumque respicit Verbum, sed realiter illi conjungit humanam naturam, et realiter attingit Verbum ipsum, tamquam alterum extremum illius unionis, a quo intime et

(1) Vide apud Suarez, loc. cit., sect. 4, n. 9.

realiter pendet, quamvis sine propria causalitate». Cognitio etiam non respicit objectum pure ut terminum, sed ut sui exemplar. «Sic igitur universaliter convenit formæ vel modo absoluto includenti respectum transcendentalem, aliquid reale munus exercere circa illum, ad quem dicit respectum vel causando, vel recipiendo, vel dependendo, vel uniendo, vel representando illum, vel aliquid aliud simile efficiendo; et hac ratione dicitur non respicere illum ut pure terminum. At vero relatio prædicamentalis ita respicit terminum, ut circa illum nullum aliud munus exerceat, nisi pure respicere, ut patet in similitudine unius albi ad aliud. Et hoc modo dicitur esse proprium talis relationis respicere aliud ut pure terminum».

Hinc quoque patet responsio ad alteram rationem, quæ etiam laborat in æquivoco. «Nam respicere aliud ut pure terminum, non est respicere terminum abstracte et in communi, ut videtur in argumento supponi; constat enim prædicamentales relationes specificas et diversarum rationum tendere etiam in terminos particulares et diversarum rationum. Omnibus tamen illis commune est, ut circa illos terminos, etiam ut tales sunt, nullum aliud munus exerceant, nisi respiciendi illos; et ideo semper eos respiciunt ut pure terminos, etiamsi sub propriis eorum rationibus eos respiciant. Quod secus est in relatione transcendentali. Sic ergo explicata illa differentia, vera et universalis esse videtur» (1). Neque vero paternitas præstat per se circa filium aliud munus, quam referendi, nec filiatio circa patrem (2).

Alterum discrimen est, quod relatio prædicamentalis non sit a natura per se intenta, «et ideo nunquam per se fit ex vi alicujus agentis, sed consequitur posito fundamento et termino texte Aristotele (3), cui in hoc cæteri consentiunt. At vero respectus transcendentalis sæpe est maxime intentus

Alterum
discrimen inter
relationem
transcendentalem
et prædicamentalem;

(1) Suar., disp. 47, sect. 4, n. 10, 11. Cfr. Bartholom. Amici, *Logic.*, tract. 15, quest. 1, dub. 3.

(2) Sunt tamen plures auctores, ut de Benedictis, Arriaga (*Logic.*, disp. 12, n. 15), Hurtadus (*Metaphys.*, disp. 15, sect. 8, n. 64), alique, qui discrimen istud inter prædicamentalem ac transcendentalem relationem non agnoscent.

(3) Lib. 5.^o *Physicor.*

a natura; et ideo forma essentialiter includens talem respectum sæpe fit formaliter ac per se primo per actionem propriam». Sic per actionem videndi fit actus in se includens transcendentalem relationem ad objectum, et per actionem unitivam unio, quæ pariter transcendentally respicit unitivam, etc. (1) Ratio vero hujus discriminis est, quia relatio transcendentalis convenit formæ alicui vel entitati aut modo entis, quatenus a natura per se est institutus et ordinatus ad aliquod peculiare munus, quod potest per se intendi per aliquam actionem, ac proinde fieri potest per se ut inclusus in forma dicente tale respectum. Secus vero prædicamentalis, utpote quæ non est in rerum natura instituta ad aliquod peculiare munus obeundum, sed ad hoc solum res alias comitari dicitur, ut sese respiciant ex vi alicujus rationis vel fundamenti (2).

tercium,

Tertio discriminantur in eo, quod relatio pura et prædicamentalis nunquam sit principium agendi, quia non est a natura instituta ob aliquod peculiare munus per se necessarium ad esse vel fieri rei, sed solum est respectus ex consequenti resultans. At transcendentalis etiam secundum propriam rationem respectivam, sæpe est principium per se agendi, ut patet de potentia et habitu sciendi (3).

quartum,

Quarto differunt in eo, quod prædicamentalis concipienda sit tamquam forma, quæ non dat subjecto aliquod esse, nec alium præstat effectum formalem, nisi respicere aliud; transcendentalis vero e contrario concipienda sit tamquam modus essentialis seu differentia formæ alicujus vel entitatis, quatenus ad causandum aliquo modo vel operandum circa alia per se primo instituta est, vel e converso quatenus ab alia essentialiter pendet (4). Præterea transcendentalis intrinseca est entitati, nec pertinet ad aliquod speciale prædicamentum, nec requirit necessario existentiam termini; prædicamentalis vero est accidentaliter, quæque potest esse vel abesse a subjecto, et constituit peculiare

quintum.

(1) Suar., disp. 47 *Metaph.*, sect. 4, n. 12. Cfr. Barthol. Amici, loc. cit.

(2) Suar., ib. n. 13.

(3) Suar., ib., n. 14.

(4) Suar., ib., n. 15.

prædicamentum: ac necessario postulat actualem termini existentiam (1); nam si consistit in puro respectu, neque aliud munus habet in natura, et ideo non est per se intenta, sed mere resultans, tamquam quid accidentale rebus præter id, quod ex se et ex intentione naturæ illis convenit, non potest non præsupponere existentiam termini. Secus enim non intelligitur, cur et quomodo ita contingenter et accidentaliter absque ulla nova efficientia modo resultet, modo evanescat, prout existat vel pereat ipse terminus (2).

Tertio dividitur in relationem *secundum esse* et *secundum dici*: quam divisionem notant Conimbricenses potius esse divisionem relativorum, quam relationis (3). Eamque alii aliter exponunt. Primo enim non defuerunt, qui relationem secundum dici cum relatione rationis identificarent (4). Multi alii divisionem istam divisioni in transcendentalem et prædicamentalem æquivalere putant, ideoque relationem secundum dici cum transcendentali, secundum esse autem cum prædicamentali penitus identificant (5). Hi S. Thomam contendunt suum esse. Sic enim rem hanc S. Doctor explicat: *Nomina relativa quædam sunt imposita ad significandum ipsas habitudines relativas, ut dominus et servus, pater et filius, et hujusmodi: et hæc dicuntur relativa secundum esse. Quædam vera sunt imposita ad significandas res, quas consequuntur quædam habitudines, sicut movens et motum, caput et capitatum et alia hujusmodi (nempe ut ego quidem intelligo, nomina hujusmodi imponuntur quidem ad significandum aliquid relativum, sed primario et directe secundum esse absolutum quod habent, et in quo ipsa formalis ratio relationis fundatur): quæ dicuntur relativa secundum dici: Sic igitur et circa nomina divina hæc differentia est consideranda dupliciter. Nam quædam significant ipsam habitudinem ad creaturam, ut*

Relatio secundum esse et secundum dici varie explicatur ab auctoribus.

(1) Vide Suar., loc. cit., n. 2, 3. Quidam tamen apponunt aliquam exceptionem, ut videre est apud Lossada, loc. cit., cap. 6, n. 18.

(2) Vide Suar., loc. cit., sect. 8, n. 7, 8, 13, 14.

(3) Conimbric. *Dialect.*, *De prædicam.*, cap. 7, *de Relat.* quæst. 1, art. 2.

(4) Apud Suar., disp. *Metaph.* 47, sect. 3, n. 7.

(5) Ita inter alios Joann. a. S. Thom., *Logic.*, quæst. 17, art. 2, *Ex quo etiam constat...*; Goudin, *Logic. Major.* pars. 1.^a, disp. 1, quæst. 4 art. 1; Complutens., *Logic.*, disp. 14, quæst. 2, n. 16.

Dominus, et hujusmodi non significant substantiam divinam directe, sed indirecte, in quantum præsupponunt ipsam, sicut dominium præsupponit potestatem, quæ est divina substantia. Quædam vero significant directe essentiam divinam et ex consequenti important habitudinem, sicut Salvator, Creator et hujusmodi quæ significant actionem Dei, quæ est ejus essentia (1) Simili modo rem explicat Auctor *Summæ totius Logicæ Aristotelis: Relativa secundum dici dicuntur, quæ de suo principali significato dicunt res alterius prædicamenti, secundo autem dicunt relationem, seu dicunt respectum: sicut scientia de suo principali significato dicitur habitum animæ, et sic est in prima specie qualitatis; secundo autem dicit respectum ad scibile, et sensus ad sensibile, quæ est quædam potentia in secunda specie qualitatis: et talia sunt relativa secundum dici. Relativa vero secundum esse sunt, quæ de suo principali significato significant respectum ad aliud* (2). Ex doctrina autem S. Thomæ, distinctio ista relativorum secundum esse et secundum dici nihil facit ad hoc, quod sit relatio realis. Quædam enim sunt relativa secundum esse, quæ non sunt realia, sicut dextrum et sinistrum in columna; et quædam sunt relativa secundum dici, quæ tamen important relationes reales sicut patet de scientia et sensu (3).

Ex præmissa declaratione relationis secundum esse et secundum dici mihi videtur colligi, quod ex mente S. Thomæ relatio secundum dici non penitus identificetur cum transcendentali, sed posse esse sive transcendentalem sive prædicamentalem, ut patet exemplis. Nam scientia quidem et sensus sunt relativa secundum dici et transcendentaliter referuntur, at sciens et sentiens, quæ etiam ob eandem rationem ac scientia et sensus in relativis secundum dici habenda sunt, nihilominus non transcendentaliter referuntur, sed prædicamentaliter. Similiter Salvator et Creator, quæ sunt exempla relativorum secundum dici ab Angelico proposita, videntur omnino concipi a nobis instar relationum prædicamentali ac pure accidentalium.

(1) S. Thom. 1. p., quest. 13, art. 7 ad 1.^{um} Cfr. *de Verit.*, quest. 21, art. 2; 1.^o dist. 1, quest. 1, art. 5 ad 8.^{um}; *de Potent.*, quest. 7, art. 10, ad 11.^{um}

(2) *Summ. tot. Logic. Arist.*, tract. 5, cap. 1.

(3) S. Thom., *de Potent.*, quest. 7, art. 10 ad 11.^{um}

Aliter declarant alii cum Suarez relationem secundum esse et secundum dici. Relativa namque secundum dici dicunt esse, quæ in se quidem absoluta sunt, sed a nobis concipiuntur instar relativorum, ac terminis relativis explicantur, quin ideo ipsis a parte rei attribuat ulla relatio, sive vera sive ficta; sicut quando a nobis concipitur res spiritalis instar corporeæ, v. g. Angelus instar alati juvenis, vel omnipotentia divina explicatur per ordinem ad effectus. Hujusmodi conceptus revera non est in se « reflexivus aut comparativus, sed conceptus directus rei absolutæ, imperfecte tamen conceptæ ad modum earum rerum, quæ habent habitudinem ad alias: in quo modo concipiendi non attribuitur ipsi objecto cognito habitudo ulla nec realis nec rationis, sed solum ex parte concipientis fit conceptus per quamdam imitationem et analogiam ad conceptus rerum respectivarum » (1). Unde e converso relativa secundum esse dicuntur illa, in quibus aut adest, aut certe cogitatur, respectus aliquis. Ad relationes secundum dici hoc pacto explicatas revocantur « denominationes omnes extrinsecæ, et entia connotativa, qualia sunt bonitas et malitia, libertas, esse Regem, esse Doctorem, etc. Entia connotativa differunt a respectivis secundum esse, quia respectiva secundum esse habent non solum nomen, sed etiam ipsum esse respectivum, sive realiter sive per fictionem: connotativa vero esse habent absolutum, sed explicantur tantum per relationem; nam connotare aliud, est non significare perfecte sine alio simul notato: unde definitur connotativum: *entitas absoluta rei, quæ aliud importat, sine quo non potest explicari*: v. g. actum aliquem esse liberum non est entitas aliqua ipsi actui superaddita, nec est relatio, quia est aliquid extrinsecum actui, sed est ens connotativum, relativum secundum dici: est enim ipsemet actus prout connotat potentiam indifferenter ad agendum. Eodem modo vitalitas, moralitas, bonitas et malitia, cum sint extrinsecæ denominationes, non sunt entia respectiva secundum esse, sed connotativa et

Quid entia
connotativa

(1) Suar., loc. cit., n. 8, apud quem vide fusiorem rei declarationem ib., n. 6. Cfr. Lossada, *Logic.*, tract. 4, cap. 3, n. 3.

relativa secundum *dici*, quia nullum habent fundamentum extrinsecum talis respectus» (1).

Duos istos modos rem explicandi oportet habere præ oculis in legendis auctoribus, ne confusio oboriatur. Cæterum uter utri præferendus sit, videat sapiens lector; consonum tamen fuerit, ut si quando usurpandæ sunt huiusmodi voces, vis earumdem et significatio accurate definiatur.

Relationes æquiparantiae et disquiparantiae.

Denique omissis aliis divisionibus minoris momenti, dividitur relatio in relationem æquiparantiae et disquiparantiae. Relationes æquiparantiae vel æqualis comparationis sunt, quæ utrinque habentidem nomen, ut v. g. relationes similitudinis, æqualitatis etc. Relationes vero disquiparantiae, seu inæqualis comparationis sunt eæ, quæ diversis nominibus appellantur, ut relatio patris et filii, domini ac servi, majoris et minoris.

Sola relatio prædicamentalis pertinet ad prædicamentum.

336. Jam relatio prædicamentalis, de qua sola nobis est hic disputandum, est ea, quæ pertinet proprie ad speciale prædicamentum relationis, diciturque habere totum suum esse ad aliud, videlicet pro explicito, quia dum apprehenditur denominatio relativa ut talis, v. g. denominatio similis, nihil in ea primo aspectu apparet, nisi quoddam esse connotans aliquid a subjecto distinctum. Non tamen particula illa totum excludit alia prædicata formaliter imbibita in relatione saltem conceptum in, qui essentialis est omni relationi, nam dictio exclusiva, ut dici solet, non tollit concomitantia (2).

Qualis sit relatio prædicamentalis.

Relatio porro ut sit prædicamentalis, debet esse realis, cæterasque habere conditiones, per quas a transcendentali discriminatur (3).

Triplex ejusdem generis.

Triplex genus prædicamentali relationum distinguit Aristoteles (4) pro triplici genere fundamenti: Primum est earum, quæ fundantur in unitate et multitudine, id est in convenientia et disconvenientia: alterum earum, quæ

(1) Rhodes, *Philos. perip.*, lib. 4, disp. 4, quæst. 5, sect. 5, paragr. 3; ubi relationes secundum *dici* sic declarate lucidissime propugnantur.

(2) Vide Suarez, loc. cit., sect. 5, n. 7; Lossada, *Logic.*, tract. 4, disp. unic. cap. 3, n. 8.

(3) Vide Suar., fuse exponentem rationem prædicamentalis relationis (loc. cit., sect. 5).

(4) Lib. 5 *Metaph.*, cap. 15. Cfr. S. Thom., *ibid.*, lect. 17.

fundantur in potentia agendi patiendique et in earumdem actionibus et passionibus; tertium denique illarum, quæ fundantur in ratione mensuræ ac mensurati. Relate ad primum genus, communis interpretum consensus est, nomine unitatis hic venire non solam unitatem quantitatis formalis, sed unitatem vel identitatem in aliqua forma vel natura etiam aliorum prædicamentorum, nomine autem multitudinis vel numeri diversitatem in forma vel natura. Quo sensu scripsit Aristoteles: *Eadem namque sunt, quorum una est substantia; similia vero, quorum qualitas est una, æqualia vero, quorum quantitas est una* (1). Unde illud desumptum est proloquium: *Unum in substantia facit idem; in quantitate, æquale; in qualitate vero, simile*. Quare sub hoc primo genere continentur omnes relationes identitatis et diversitatis, æqualitatis et inæqualitatis, similitudinis ac dissimilitudinis, propinquitatis et distantiae præsentiae atque absentiae, aliæque id genus (2). Nec dicas fundamentum relationis non posse esse substantiam, sed accidens: atque adeo saltem unitatem in substantia non posse causare relationem. Nam bene scribit, et probat Eximius Doctor, cum communi sententia Doctorum non esse necessarium, ut fundamentum relationis sit aliquid distinctum ab ipsa subjecti substantia (3). Et S. Thomas etiam diserte concedit substantiam posse esse relationis fundamentum (4). Plura de his dabit Franciscus Suarez (5).

Quoniam relationes comprehenduntur sub primo genere.

Potest substantia esse fundamentum relationis.

Instabis. Si posset substantia esse fundamentum relationis relatio prædicamentalis, quæ huiusmodi fundamento niteretur, essentialis foret, atque adeo cum transcendentali confunderetur.

Resp. *dist.* primum membrum asserti; relatio huiusmodi essentialis foret, id est innixa essentiæ, *conc.*, id est, penitus

(1) Aristot., loc. nup. cit.

(2) Vide Conimbricens. *Dialect.*, de *Prædicam.*, in cap. 7 de *Relat.*, quæst. 2, art. 2; Suarez, loc. cit., sect. 10, n. 2; sect. 11, n. 4; sect. 7, n. 4, seqq. Complutens., *Dialect.*, disp. 14, quæst. 4, n. 29; seqq.

(3) Loc. cit., sect. 7, n. 4, seqq. Cfr. Complutens., loc. cit., n. 30.

(4) Vide de *Potent.*, quæst. 7, art. 9, corp. et ad 4.^{am} et 5.^{am}; 1 p., quæst. 28, art. 1 ad 2.^{am}; 1.^o dist. 26, quæst. 2, art. 2 ad 4.^{am}

(5) Loc. cit., sect. 11, n. 1-5, et n. 14, seqq.

identificata et inseparabilis ab essentia, qualis est relatio transcendentalis, *neg.*; et *neg.* etiam alterum asserti membrum. Potest enim habere relatio pro fundamento essentiam, et nihilominus non esse necessaria nec inseparabilis. Nam sicut duo parietes, qui eandem logicę habent albedinem, similitudinis relatione connectuntur; ita etiam Petrus et Paulus eandem logicę habentes humanitatem, mutua similitudinis relatione se invicem respiciunt, et nihilominus quamvis similitudo ista fundetur in essentia Petri vel Pauli, potest Petrus suam essentiam retinere relationemque amittere, moriente videlicet Paulo, et vicissim Paulus moriente Petro. Ergo prædicta relatio, quantumvis essentiam habeat pro fundamento, essentialis non est, nec proinde transcendentalis.

Utrum una
relatio possit
aliam fundare.

Quæri autem posset hic, utrum sicut unitas in aliis prædicamentis fundet relationem, ita etiam unitas ipsius relationis possit relationem fundare adeo, ut quæcumque in habenda relatione conveniunt hoc ipso invicem referantur. Quæ controversia solet etiam aliis verbis proponi, *utrum una relatio possit aliam fundare*. Negat S. Thomas (1), quem communisme sequuntur Thomistæ, ut Soncinas (2), Ferrariensis (3), Joannes a S. Thoma (4), Complutenses (5), aliique. Afirmat autem Scotus (6), eique adstipulantur omnes Scotistæ (7). Tota hæc quæstio videri potest apud Eximium Doctorem (8) vel Rhodos (9).

Quodnam sit
fundamentum
in altero genere
relationum.

Circa alterum fundamentum relationum est difficultas, utrum actio et passio, an vero potentia proxima agendi et patiendi, vel an potius ipsa substantia quatenus est radicale

(1) 1 p., quæst. 42, art. 1, ad 4.^{um}; quæst. 45, art. 3, ad 2.^{um}; 2.^o *Contr. Gent.*, cap. 18, fin.; *de Potent.* quæst. 3, art. 3, ad 2.^{um}; quæst. 7, art. 9, ad 2.^{um} etc.

(2) *Metaph.*, lib. 5, quæst. 29.

(3) In lib. *Contr. Gent.*, cap. 12, et 13; lib. 4, cap. 11.

(4) *Logic.*, quæst. 17, art. 3.

(5) *Dialect.*, disp. 14, quæst. 4, n. 31.

(6) 2.^o dist., quæst. 5, et alibi apud Matrium, *Logic.*, disp. 8, quæst. 5, art. 2, n. 68.

(7) Apud Matrium, loc. cit.

(8) Loc. cit., sect. 9, n. 5 seqq.

(9) *Op. cit.*, lib. 4, disp. 4, quæst. 5, sect. 3, parag. 2.

principium actionis et passionis fundet hujus secundi generis relationes. V. g. utrum fundamentum relationis paternitatis sit potentia generativa patris, an vero generatio, vel an substantia ipsa in qua radicatur potentia generativa. Scotus (1) docet potentiam generativam esse fundamentum paternitatis (et idem dic de aliis relationibus ejusdem generis), generationem vero non esse, nisi conditionem sine qua non, vel rationem fundandi. Quare non in nuda potentia, sed in potentia ad actum reducta, dicendum est fundari has relationes, quemadmodum explicat Matrius (2). Et ratio est, quia relatio paternitatis, aliæque similes perdurant etiam transacta actione generandi. Ergo oportet ponere aliquid permanentis, quod prædictam relationem fundet, ac proinde potentia ipsa activa, quæ in sententia Scoti re non differt a substantia, est fundamentum hujusmodi relationis. Et hanc esse communem Scotistarum doctrinam scribit idem Matrius (3), pro qua etiam allegat alios Auctores ac nominatim e Thomistis Dominicum a Flandria, Araujo et Soncinatem (4); Suarez (5) autem et alii tenent substantiam ipsam esse fundamentum relationis paternitatis. Thomistæ demum censent generationem ipsam, non autem potentiam generativam substantiamve patris, esse proprie paternitatis fundamentum (6); cum quibus sentire videtur S. Thomas non uno in loco: *Aliæ... relationes fundantur super actionem et passionem; et in istis considerandum est, quod una passio respondet duabus actionibus, quando neutrum agens sufficit per se ad actionem complendam, sicut est in eo, qui una navitate nascitur ex patre et matre: unde in patre et matre sunt duæ relationes secundum rem, sicut et duæ actiones, sed in nato est una relatio secundum rem, secundum quam refertur ad patrem et ad matrem, sicut et passio una. Item considerandum est, quod quædam relationes non innascuntur ex actionibus,*

(1) In lib. 5.^{um} *Metaph.*, cap. 15; et 4.^o dist. 6, quæst. 10.

(2) *Logic.*, disp. 8, quæst. 10, n. 160.

(3) *Ibid.*

(4) *Metaph.*, lib. 5, quæst. 25 ad 2.^{um}

(5) Loc. cit., sect. 12, n. 5 seqq.

(6) Vide Complutenses (loc. cit., n. 36); et Joann. a S. Thom., (loc. cit., art. 3, *Tertia difficultas*).

secundum quod sunt in actu, sed secundum quod fuerunt; sicut aliquis dicitur pater, postquam ex actione est effectus consecutus; et tales relationes fundantur super id, quod in agente ex actione relinquitur, sive sit dispositio sive habitus, sive aliquod jus aut potestas vel quidquid aliud est hujusmodi (1). Eademque doctrinam tribuit communiter Nostratibus P. Ludovicus Lossada (2).

Quid dicendum
de relationibus
tertii generis.

Denique relate ad tertii generis relationes, sunt qui censent eas esse dumtaxat transcendentales, propterea quod superfluum videatur, quod scientia, quæ transcendentaliter refertur ad suum objectum, prædicamentalem etiam importet respectum. Alii vero hujusmodi relationes arbitrantur esse pure extrinsecas denominationes (3). Verum communis est sententia admittentium relationes prædicamentales fundatas in mensura et mensurabili, qualis est relatio scientiæ ad scibile: ubi non est sermo de mensura quantitativa, quæ fundat relationem æqualitatis vel inæqualitatis, sed de mensura objectiva in hoc consistente, quod res habeat perfectionem regulatam ab alia, vel eidem commensurata, qualis est perfectio scientiæ. Quare in scientia duplex considerari potest relatio ad objectum, altera transcendentalis, quam omnes agnoscunt, sive objectum ejus realiter existat, sive secus, altera prædicamentalis, quæ velut accidentarie resultat in scientia, quamdiu objectum existit, cessat autem eo non existente. Cæterum commensuratio ista nihil rei est præter habitudinem transcendentalem talium rerum ab objecta, quæ est sufficiens fundamentum relationis prædicamentalis; sicut actio physica, quæ transcendentaliter refertur ad effectum, est etiam fundamentum relationis prædicamentalis, qua effectus causam respicit (1).

Probatur
sufficiencia
divisionis istius
trimembris.

Jam sufficientiam trimembris hujus divisionis prædicamentali relationum sic probat S. Thomas: *Cum enim*

(1) S. Thom., 3.^o dist. 8, quæst. 1, art. 5. Cfr. 1 p., quæst. 28, art. 4; 4.^o Contr. Gent., cap. 24; *Summ. totius Logic. Arist.*, tract 5, cap. 4.

(2) Loc. cit., cap. 3, n. 14. Videantur de hac re Suarez et laudati auctores.

(3) Vide apud Joann. a S. Thoma., loc. cit., *Secunda difficultas*.

(4) Vide Suarez, loc. cit., sect. 13; et Joann. a S. Thoma.

relatio, quæ est in rebus, consistat in ordine quodam unius rei ad aliam, oportet lot modis hujusmodi relationes esse, quot modis contingit unam rem ad aliam ordinari. Ordinatur autem una res ad aliam, vel secundum esse, prout esse unius rei dependet ab alia, et sic est tertius modus. Vel secundum virtutem activam et passivam, secundum quod una res ab alia recipit, vel alteri confert aliquid; et sic est secundus modus. Vel secundum quod quantitas unius rei potest mensurari per aliam; et sic est primus modus (1). Nec est ulla realis relatio prædicamentalis, quæ nequeat ad aliquod ex tribus hisce generibus commode revocari (2).

337. Proprietates relationis prædicamentalis quinque assignat Aristoteles. Prima est, *habere contrarium*. Nam scientia v. g. erroris contraria est. Hoc tamen attributum non convenit omni relationi, sed tantum ei, quæ fundatur in qualitate. Quare contrarium habet relatio non secundum se, verum ratione dumtaxat fundamenti, quod capax sit contrarietatis, ut notant interpretes (3), ac nominatim Auctor *Summa totius Logicæ Aristotelis* (4).

Proprietates
relationis:
prima.

Secunda proprietas vel attributum relationis est, *suscipere magis et minus*. Verum neque hæc convenit omni relationi; quamvis enim aliquid sit alio similium vel dissimilium, æqualius vel inæqualius alteri, non tamen magis aut minus pater vel filius. Unde iterum notant interpretes hanc quoque proprietatem relationi non ratione sui, sed ratione dumtaxat fundamenti convenire. Quamquam concedunt multi dari quamdam relationem, quæ suscipiat magis et minus, quamvis fundamentum ejus in indivisibili consistit: relatio videlicet æqualitatis, quæ licet in quantitate fundatur, major minorve esse potest. De quo tamen monet Toletus (5), *æquale*, quando dicitur magis vel minus tale, non sumi proprie, sed abusive, ita ut æquale dicatur, quod non prorsus æquale est, sed ad illud accedat.

secunda.

(1) S. Thom., lib. 5 *Metaph.*, lect. 17, init. Cfr. Suarez, loc. cit., sect. 10; Joann. a S. Thoma., loc. cit., art. 3; Complutenses, loc. cit. etc.

(2) Vide Suar., loc. cit., sect. 14.

(3) Vide Sotum, Toletum, Conimbricens., aliosque interpretes.

(4) Tract. 5, cap. 5.

(5) Loc. cit., *Questio, an relatio suscipiat magis et minus*.